

B. M. II, 355^o

h. 69, 12.

II K
3872

C. D. ~~22. 75.~~ 10
DE

VERBIS MINITANTIBVS

Bon

Drav-Worten /

SUB PRÆSIDIO PARENTIS

PETRI MÜLLERI, D.

CONS. SAX. ET PROF.

IN AUDITORIO FCTOR.

AD D. AVGVSTI CIO IDC XCI.

disputabit

AVTOR

IOH. GERHARD. Müller.

JENÆ,

TPIS IOHANNIS BERNHARDI HELLERI,

RECUSA ANNO M DCC XVI.



11.



C. D. 55. 10.

MINIATURIBUS
VERBIS

STYLUS

PETRI MILLERII D.

IN AUSTRIAM

AUTOR

JOH. GEBHARD. 1711



BIBLIOTHECA
MILLERII





C. D.

P R O O E M I U M.

Primè Aristoteles 1. *Polit. c. 11.* philosophatur: *Nihil equidem, ut loquimur, frustra facit natura: at soli homini præ cæteris sermonem concessit.* Et Cicero *lib. 1. offic.* *Natura, inquit, vi rationis hominem conciliat homini, & ad orationis & ad vitæ societatem.* Paulò post ait: *Ejus (societatis) vinculum est ratio & oratio, quæ docendo, dicendo, communicando, disceptando, judicando conciliat inter se homines, conjungitque naturali quadam societate.* Nam oratio est animi index, imò operum simulacrum; ea quippe quæ in opus prouunt, prius animo concepta verbis indicantur, & è voce agnoscimus, facie non conspecta, nam sua cuique vox: ita ex oratione licet hominis vitam conjectare.

A 2

Si

Si animus bonus est, sermo non erit improbus; si malus, simile supervacuum pleno manat de pectore. Lingva, infert Hugo *lib. 1. d. anima*, dicitur, quia lingit adulando, mordet detrahendo, attrahit mentiendo, ligat, & ligari non potest, labilis est, & teneri non potest, sed labitur & fallit. Labitur ut anguilla, penetrat ut sagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos, movet rixas, seminat discordias, uno ictu multos percutit, & interficit, blanda est subdola, & parata ad exhaurienda bona & miscenda mala. Qui custodit linguam suam, custodit animam, quoniam mors & vita in potestate lingvæ est:

*Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum: juvat, aut impellit ad
iram,*

*Aut ad humum mœrore gravi deducit, & an-
git:*

Post effert animi motus interprete lingva.

Horat. *in art. poetic.* Hinc Synesius Cyrenus dixisse fertur: Mentis quasi vestitum quendam verba esse, quibus induta, ea incedit, & vel bene vel male adornatur: quemadmodum & in corpore: hic autem speciem, aut deformitatem
homi-

§ (5) §

hominibus conciliat. Non autem satis est, loquendo male egisse, vel etiam promississe bene, nascitur omnino ex sermone naturalis obligatio, quæ sciendi jus dat alteri, qui cum agimus, id quod egregiè monstrat Henr. Uffelmannus moralium Professor quondam Helmstadiensis in *dissert. d. jure, quo homini homo in sermone obligatur, cap. 4.* ubi ex jure naturæ leges de recto sermonis usu format, quarum *prima & fundamentalis est: Sermone quisque suo ad communem utilitatem uti, idque sedulò cavere debet, ne ex illo quicquam detrimenti capiat tranquillitas & salus publica.* Ex qua lege promanat hæc generalis: *Ne quis sermone suo jus alterius violet, neve ipsi justam querelarum causam prabeat.* Ex generali porro illa consequuntur aliæ; quarum prima hoc vult: *Nequaquam fama, honori, aut existimationi alicujus esse detrahendum.* Neque enim in benè constituta Republica toleranda est pessima ista lingvæ procacitas, cum ex verbis, quæ levissima res quandoque videtur, odia gravissima & inimicitia oriuntur, ac calumnia soleat opprimere, quod eminent; illa quippe est aculeus invidia h. e. mendax & malioli infamatio virtutis aut felicitatis alienæ, &

A 3

scel-



scelere exquisito in aliquem conflata versutia. Hoc quoque animadvertendum est in communi vita, quod malè feriat homines criminatibus non acquiescant, sed magis magisque ut noceant, asvescant operibus, ita ut nec secum cogitationes ferre, sed lingvâ quoque eas proferre effutirêque non erubescant. Stultitiæ tamen suæ pretium ferunt, sibimetipsis malum parantes, dum non sine dispendio facultatum suarum atque existimationis eluctantur, imò vitam suam amittunt. Sæpius enim effectum esse, ut, dum ad occultandum secreta mentis suæ impotentes extiterunt, ansam judici, ut suum faceret officium, hoc est, ad avertendum malum, quod futurum est, vel ad facinus, quod commissum & præteritum est, puniendum inquireret, jus super facti contingentia, administraverit, experientia testatur. Proinde animus mihi est, publici speciminis loco vim verborum minitantium, nempe (I.) *Quid sint Mina, & verba Minitantia, & quomodo Diffidationes differant à Minis.* II. *Quinam dicantur minari.* III. *De Personis, in quas mine jactantur.* IV. *Quanam incommoda secum trahant verba minitantia, & in specie, quatenus ad cautionem de non*
offen-

10.
¶ (7) ¶
*offendendo prastandam Minitator teneatur, &
denique V. Quatenus Mina indicium in delicto
commissio faciant ad torturam proponere. DEus,
in cuius gloriam studia mea à puero direxi, huic
labori clementissime benedicat. Sit ergo*

CAPVT I.

quod

proponit

QVIVD SINT MINÆ ET VERBA MINITANTIA.

SUMMARI A.

TH. I. *Verbum dicitur à verberando, vel etiam ab ἐγείω. II. Verbum accipitur vel Generaliter pro quavis dictione, vel Specialiter pro parte orationis per tempora & personas. III. Mina à mino i. e. pello. Alii à græco ἀπειλή derivant. IV. Verba Minitantia quid sint. Verba vel ore proferuntur, vel literis exprimuntur. V. Quomodo Diffidantia literæ à Minis specialiter didis differant. VI. Duo necessariò requiruntur ad diffidationem, quorum unum si abest mina simplices sunt. VII. Quando quis verbis aut*
litte.

*litteris minitatur certæ alicui personæ ma-
lum, quod ipsum solummodo, non etiam u-
niversitatem aut totum populum concernit,
pro diffidatione habetur. VIII. Idem est, si
quis nudis verbis Universitati, Pago vel
Oppido incendium minetur. IX. Differunt
verba Minitantia ab Admenatione.*

THESIS I.

Verbi nomen dictum volunt, quod *verberatu aëris
formetur, sive, quod illo verberetur aër.* In Scali-
ger *lib. 5. d. caus. L. L. & multò ante eum Priscia-
nus, initio lib. 8.* Item Isidorus *lib. 1. cap. 8.* Ver-
bum dictum, eò quod *verberato aëre sonet.* Idem sen-
tit P. Consentius de verbo. Propterea verba appella-
ta sunt, quoniam scilicet oratio fieri non possit, nisi
aëre verberato. Et Adamantius Martyrius apud Cassio-
dorum de Orthograph. idcirco per B. quam per V. in
secunda scribi ait. Stabilis hanc etymologiam, quod
Plautus Amphitry. dicat, Mercurii aures voce verbera-
ri: Iremque illud Ausonii ad Tetradium: *Auresque ser-
mo verberet.* Imò & *Verbera* pro *Verbis* posuit Priscia-
nus in Periegesi:

*Psittacus hic viridis decoratus torque rubenti
Nascitur, humana simulat qui verbera lingua.*

Fortasse verius est, *verbum* venire ab *ἐρέω*, dico. Vos-
sius in *Etymologico lingua latina voc. verbum.* Varro à
veritate deducit, quod verum nos loqui oporteat.

TH. II.

§ (9) §
THES. II.

Verbum *generaliter* accipitur pro quavis dictione, quæcunque ea sit orationis pars; Aliquando *specialiter*, pro parte orationis per tempora & personas declinabili, *primæ*. Unde verbale nomen dicimus quod à verbo originem accepit. Calepin. *in lexic. voc. verbum*. Quandoque *opponitur rebus* sive factis; hinc verba dare pro decipere ponitur. Nonnunquam non singulas tantum dictiones verbi nomine complectimur, verum etiam solidas orationes. Ita Comicus: *Vetus verbum hoc quidem est, Communia esse amicorum inter se omnia*. Plura vid. ap. Calep. d. l.

THES. III.

Minæ, dictæ à *mino* h. e. pello, ut cum *minare* *pe-*
rus dicimur. Nunnestius in *Grammat.* sua censet, *mi-*
nas vocari à Græco ἀπειλή, quod ejusdem est notionis. Nempe ut non modo λ abeat in N, quod crebrum; sed etiam π in M, quomodo à πέπεισθαι fieri *maturus* idem arbitratur. Aliis *minari* à *manendo* h. e. eminendo, dictum placet: contra *eminere*, potius à *minis* dici sit verisimile. Maro i. *Æneid.*

Geminique minantur

in cœlum scopuli

Ubi Servius: *minantur, est eminent: ut Minasque muro-*
rum ingentes. Item, illa usque minantur. Ita Minæ di-
cuntur altitudines murorum Virgil. Æneid. 4.

----- *propugnacula bello*

Tuto parant, pendent opera interrupta minaque

Murorum ingentes.

ibi Servius: *Minæ eminentiæ Murorum quas pinnas di-*
cunt.

B

cunt. Sed Vossio dicto loco verb. *Minor* neque *eminere* à *minis* dici placet: quod Servius velle videtur: neque item *minari* à *manendo* s. *comminendo* deducere visum, quod nonnullos velle indicat Perottus. Plura vid. ap. Matth. Martin. in *lexic. Philog. voc. mina*; Est etiam verbum *MINOR*, *minari*, s. *minas inferre*, terrorem alicui incutere denunciatione periculi. Dicitur & frequentativum *Minitor* s. impetuose *minor*. Veteres pro *minari* dixerunt *minare*, pro *minitari* *minisare*. Priscianus *lib. 8. Multa similiter ancipiti ut partio & partior, munero & muneror, mino & minor, minito & minitor, meridio & meridor &c.* Sed posterioribus seculis *mino* & *minito* longè aliud fuit. Quippe eo Ecclesiastici Scriptores usi pro *pecus agere*. Imo alii quoque usurpant: ut Ausonius de Myronis buculâ.

*Nec tum caduco sole jam sub vespere
Ageret juvenecas cum domum pastor suas,
Suam relinquens me minabat ut suam.*

Dicitur & *Minitans* per participium. Germanice vocantur: *die Dreuing & Drauing / it. das dreuen / & das drohen / Minax, ostendator der Droher oder Dreuer / vid. Spatens Teutscher Sprachschatz in voc. Dreu p. 331.*

THES. IV.

Verba itaque *minitantiâ* sunt enunciationes, vel scriptura, vel ore prolata, quibus aperte significatur, quod quis velit alteri nocere aut damnum inferre. German. *Drau- oder Drohwort*. Differunt autem
hac

hæc à Minis, iustangustius & latius; nam minæ peraguntur etiam gestibus, & signis; secus ac verba minantia quæ vel ore per sonitum vel per scriptionem quandam seu literas exprimuntur.

THES. V.

Et quanquam *Diffidatoris literæ*, *Absage Schreiben* / oder *Fehdebriefe* / etiam sint minæ, sunt enim denunciationes animi hostilis, quibus quis alii cuiquam significat, se eum armis, igne, spoliis, rapina &c. persecuturum, Ludov. Gilhauf, *in arbor. crimin. cap. 2. tit. 8. n. 1.* definit: quod sint belli ac extremarum inimicitiarum denunciationes. add. A. B. cap. 17. Differunt tamen à literis minatoriis seu minantibus; illæ sunt minæ qualificatæ & diffidationem proximè sequitur vis publica, quippe hæc per illam annunciat, eo enim ipso, dum publicè indicat, se diffidandum armis, igne, spoliis, cædibus, rapinis &c. persecuturum, serio declarat, diffidandum à diffidatore nihil aliud quam vim publicam expectare debere. Minantia verba simplicia non sunt diffidatoria, neque vim publicam subsequitur inferunt. Quam differentiam tam ratione atrocitatis, quam infecuræ pœnæ, & simul si verba sint dubia, num pro Diffidatoriis, num minatoriis sint habenda quid dicendum optimè colligere licet ex placitis Ictorum Saxoniorum non editis, ibi: *Nachdem nunmehr durch eine Constitution verordnet / daß der / so conditionaliter absaget (als wenn du mir so viel nicht wirst geben / so will ich dein abgesagter Feind seyn / dich brennen an Leib / Leben und Gut beschädigen) soll als ein ander Weder gestraffe*
B 2
wer

werden; So ist ein grosser Zweifel vorgefallen / was für ein Unterscheid / zwischen Vheden und schlechter Bedrohung solle gemacht / und wie eines von dem andern könnte erkandt werden / weil ein Vhedder mit dem Schwert gestraffet / der aber / so einem betrohet / zu einer gnugsamen Caution soll angehalten werden. Und nachdem dieser Punct auf der Schöppenstühle Vergleichung ausgefetzt / so haben sie sich mit einander dergestalt vereiniget / nehmlichen / weil aus unsers gnädigsten Herrn Lands-Ordnung zu befinden / daß die so einander bößlich bevheden / wegen der Straffe den Landfriedbrechern zu vergleichen / so ist die Absagung / welche in Erwegung der Worte / und aller Umstände dem Landfrieden zuwider laufft / vor ein feindliche Absage oder Vhede zu halten / und dar-
 um wenn einer einem absaget / oder ihme Feindschafft zuschreibet / oder Brandzeichen stecket / und also oder sonst / ihn mit Raub / Brand / Mord / sein und den Seinigen zu beschädigen / betrohet / und bevhedet / daß solche feindliche Wort und Abkündigung / so gemeiniglich zu vieler Leute Unruhigung und Verderben gereichen / propriè vor Vheden zu halten / und in diesem Fall / wenn iemand wegen der Vhede mit dem Schwert soll gestrafft werden / sollen die Umstände gleichwohl darneben erwogen werden / daraus sein feindlich und vhedlich Gemüth zu nehmen. So aber iemandes / und sonderlich Adels und wohlbesessene Personen / ohne Austret-

ten

ten und bewegtem Gemüth / Trunckenheit / oder auch in Meynung sich selbst zu rächen (welches doch nicht seyn soll) drohet mündlich oder schriftlich andern zubeut / als sie an ihrem Leib und Leben zu beschädigen / Kugeln zu wechseln / und dergleichen / solches wäre mehr für Drohwort / denn für eine rechte Bhede zu halten ; Aber im Zweifel / so ein Schreiben vor einen Bhedes Brieff wird angezogen / welches verba dubia hat / so auf einen oder andern Weg / als des rächens / tädlichen Vornehmens / auf die Bheden / oder aber uf Drohwort verstanden werden können ; als / ich will mich an dir rächen / ich will mit dir zu thun haben / ich will dir es gedencken und dergleichen / sind nur vor Drohwort zu halten. add. D. Strykii *diff. exhibens collationem juris Saxonici Novissimi & Romani cap. 4. §. 20.*

THESES. VI.

Hinc apparet ad veram Diffidationem duo necessario requiri, nempe (1.) ut ad minas factum aliquod accedat, quo persecutio extrema vitæ, corporis aut bonorum inimico denunciatur; veluti emissio literarum Diffidatoriarum, vel signorum hostilium Diffidatoriorum suspensio & affixio; & (2.) ut per ejusmodi minas pax publica violetur, & inde hostilia non uni personæ, sed toti populo seu universitati sint expectanda; sequitur, horum requisitorum alterutro deficiente, minitationem, non pro Diffidatione, sed pro nudis minis habendam esse, Carpzov. *practic. crim. part. 1. qu. 37. n. 65. ubi seq. num. 66. infert: ideoque, si quis alicui*



verbis nudis tantum incendium, inflammationem & simile minetur (*Er wolle ihm einen rothen Hahn außs Haus setzen*) licet ejusmodi minæ non solum minati personam, sed totum populum & communitatem concernant, cui incendium unius domus nocere potest, ut quod proximas quoque soleat arripere, Wesenbec. in §. *item L. Julia de vi publica n. 4. Inst. de public. Jud. ea* tamen pro Diffidatione, quæ pœnam gladii meretur, nequaquam haberi debent, quia alterum Diffidationis requisitum, quod est factum accedens, ut emissio literarum, vel affixio signorum inflammationis deficit.

THES. VII.

Simili modo pro Diffidatione non habetur, quando quis verbis aut etiam literis, aliove facto minitur certæ alicui personæ ejusmodi malum, quod ipsum solummodo, non etiam universitatem ac totum populum concernit; veluti si dicat aut scribat: *Er wolle einen erschiesfen oder ihm eine Kugel schencken*; quia alterum requisitum Diffidationis, quod est damnum seu malum imminens toti populi seu universitati deest. Carpzov. *pract. crim. p. 1. qu. 37. n. 68.* adeoque ejusmodi denunciatioes certæ personæ factæ, pro nudis tantummodo minis haberi debent. Wesenb. in *dict. §. item Lex Julia de vi publica n. 4. Inst. de publ. Jud. Arum. ad A. B. c. 17. discurs. 6. th. 17.* Reinhard, Rosa *ad Dan. Moller. Const. Elect. 15. n. 6. part. 4.* Beust. *ad l. monendi 31. de jurejur. n. 1179.* Nam & hoc casu ratio, ob quam in diffidatores pœna gladii constituta est, deficit, nimirum metus ac timor, qui
univer-

10

§§ (15) §§

universitati s. populo universo incutitur, ut antea dictum.
Carpz. d. l. n. 69.

THES. VIII.

Idem, ac in præcedenti casu dictum est, obtinet, si quis nudis verbis universitati, Pago vel Oppido incendi-um minetur (Er wolle das Dorff anstecken / und in die Aschen legen) Autor *Consult. Saxonie. part. 4. qv. 36. tom. 2. n. 5.* ubi ait: Drauwort werden verstanden mündliche Absage und Bedrungen / die calore iracundiæ, aus Zorn / Bewegnüß / Trunkenheit oder dergleichen / und bißweilen durch Beschickung und Werbung geschehen / wider dieselbe hat die constitution, so wider die Landzwinger gemacht / nicht statt / Paul. Matth. Wehner, *in pract. observ. verb. beoheden.* Cujus rei ratio esse potest quod nempe Constitutio Provincialis diffidatores propterea gladio puniri velit, quia hominibus & universitati timor incutitur, ac publica pax violatur ac turbatur, ut vicini vigiliis agere, domi se continere ac agriculturam, aliave negotia negligere cogantur, ut apparet ex *Ordin. crimin. art. 128. Wesenb. in d. §. item Lex Julia, de vi public. n. 4. Inst. de publ. Jud.* Atqui solis minis verbalibus ejusmodi metum ac timorem incolis non injici, vel ex eo constat, quod nudis verbis minitans calore potius iracundiæ hoc fecisse præsumatur, quarum effectum vicini solummodò metuunt. *Carpzov. p. 1. pract. crim. qv. 37. n. 65.* Ergo solæ minæ verbales diffidationem non faciunt, nec minitator gladio feriri debet. *Carpzov. p. 4. c. 15. def. 5.*

TH. IX.

Denique differunt Minæ & verba minitantiæ ab Admenatione, quæ est, definitore D. Joh. Alex. Christ. *dissert. de Admenatione cap. 1. §. 5.* delictum priuatum elevatione manus, vel ad injuriam, vel ad vim, vel ad vulnera necemve inferendam commissum; Angel. Aretinus *tr. de malefic. sub rubric. de pœn. plur. delinquent.* admenationem dicit esse actum cum cultello, vel manu, vel bastone. Apparethic quod vocabulum admenationis plus denotet, quam minæ, & minus, quàm imperus aut insultus. Eine Bedrohung wenn eine Hand / Messer / Dolch / oder ein ander Waffengegen den andern freventlich wird aufgehoben / oder gesucht. Equidem in latiori sensu vocis minarum comprehenditur Admenatio, tanquam atrox quædam aliqua comminatio.

CAPVT II.

tractat

QVINAM DICANTUR MINARI, ET AD QUID SE OBLIGENT MINANDO.

SUMMARIÆ.

- I. *Ex verbis nascitur obligatio. Homines vero voluntate & potestate delinquendi destituti non obligantur.* II. *Et si furiosi non obligentur, si tamen minentur, custodien-*

10
§§ (17) §§
di sunt. III. Impuberes Infantes ob verba
minitantia effusa certis casibus virgis de-
terrendi sunt. IV. Impuberes infantia pre-
ximi à malis committendis pœna deter-
rendi. V. Pubertati proximi puniendi ve-
niunt, sed ordinario mitius. VI. Recto ju-
dicio pollentes à verbis minitantibus sibi
temperant. Judicia gravium Virorum
super præcipitantia circa minas afferun-
tur. VII. Quomodo intelligendum: minas
esse delictum. VIII. Accidit quandoque ut
quis verbis minari possit extra delictum.

THESIS I

Equidem ex verbis nasci obligationem naturalem
ac civilem, ex titulo *de Verb. obligat.* satis constat,
semper tamen præsupponitur persona ad obligan-
dum habilis. Cum verò minæ annumerentur
delictis, necesse est requiratur homo voluntate & fa-
cultate delinquendi præditus. Hinc homines volun-
tate ac potestate delinquendi destituti, quales sunt vel
propter morbum animi, ut *Furiosi*, durante infortunio
l. 12. ad l. Corn. de Sicar. vel etiam propter ætatem ut
Infantes & Impuberes doli nondum capaces per *d. l. 12.*
atque 23. d. furt. Anton. Matthæi *d. crimin. in proleg.*
c. 2. n. 2. Tabor. racemat. crim. 1. tb. 21. vel propter
ignorantiam circumstantiarum, vel potius propter exi-
lium

C

lium mentis, uti sunt *extremè Ebrii c. sane c. 15. qv. 1. arg. c. 14. d. vis. & honest. Cleric. c. 7. qv. 1. propriè delinquere non dicuntur.*

THESES. II.

Quoniam *Furiosi* actiones propriè non dicuntur actiones humana *l. ult. in fin. d. administr. tut.* ac mens ejus se ipsam non noscit, miserabilisque ignorantia infortunio premitur *Nov. Leon. 112.* imò non habet animi destinationem *arg. l. 4. junct. l. 2. de concub. nec intelligit quod agat §. 8. Inst. de inutil. stipulat.* omnique intellectu caret *l. 14. d. offic. pres. & extra mentem positus c. 15. X. de regular.* nullus erit consensus, nullaque obligatio *l. 2. C. de contrab. emt.* Unde furiosus comparatur in jure nostro lapidi seu regulæ de tecto cadenti *l. 5. §. 2. ad L. Aquil. quadrupedi d. l. 5. §. 2. mortuo l. 14. locat. l. 8. §. 2. de opr. legat.* Ut nec delinquere possit vid. Covarruv. *tom. 1. relect. clement. si furiosi. de homicid. part. 3. num. 1. Carpzov. pract. crim. p. 3. qv. 145. n. 24.* adeo ut nec furti obligetur *l. 2. d. conduct. furtiv. §. 7. Inst. de oblig. qua ex del. nec ex rapina, nec ex damno injuria dato l. 5. §. 2. ad L. Aquil. nec ex injuria, si pulset, verberet, aut convitium dicat, uti hoc furiosorum fere proprium est per c. aliquos 5. c. 15. q. 1.* Nec furiosus reipublicæ obligatur, nec poena aliqua tenetur, ut proinde immunis sit furiosus à crimine & poena læsæ Majestatis tum divina Decian. *tr. crim. lib. 6. cap. 5. n. 7.* tum humana *l. unic. C. si quis Imper. maled. homicidii tum simplicis l. 12. ad L. Cornel. de sicar. tum qualificati v. gr. parricidii l. 13. §. 1. l. 14. de offic. pres. & aliorum criminum, de quibus videatur JCrissimus*
Joh.

§ (19) §

Joh. Andr. Frommannus Antecessor Tubingensis de pu-
 blica re, si quis alius, optimè meritis in elegantissimo
 tractatu de *Jur. furiosorum singulari pag. m. 64.* Quoni-
 am tamen verba minitantium furiosorum pro nihilo non
 sunt habenda, præcavendum erit omni modo malum,
 non aliter ac canes nostros & alia rationis expertia anima-
 lia, maximè domestica, non dubitamus à damnis inferen-
 dis seu pauperie includendo ea repellere, ita & furiosos
 compedibus aut vinculis detinere rationi omnino con-
 venit *l. 13. §. 1. l. 14. d. offic. præf. Carpzov. lib. 4. Resp. 61.*
n. 3. & præf. crim. p. 1. qv. 18. add. *Molina d. J. & J. tr. 3.*
disp. 38. n. 3. Aliud est si furor sit intervallatus, eo enim
 tempore cum habeant mentem & intellectum *l. 14. de offic.*
Præsid. & ut sani æstimentur Paul. Zachix quest. medic. legal.
lib. 3. tit. 1. qv. 21. n. 26. impunitatem furor ejusmodi non tri-
 buit in delictis *d. l. 14. d. off. præf.*

THESES III.

Impuberes infantes, seu qui nondum explevere septen-
 nium, cum intellectum nullum habeant & quid agant,
 ignorent *§. 10. Inst. d. inutil. stipul.* perinde ac furiosi perpe-
 tuo mentis exilio laborantes *l. 5. §. pen. ff. ad L. Aquil.* delin-
 quere non dicuntur, cum obligatio ad pœnam subeun-
 dam, ex delictis descendens, præsupponat præsumtum in
 delinquente consensum; dum scil. eo ipso, quo prohibi-
 tionis aut illegalitatis non ignarus delinquit, pœnæ se
 subicere voluisse creditur, *Grot. d. Jur. bell. & pac. lib. 2. c. 20.*
§. 2. circ. fin. *Brunnem. exerc. just. 23. pr.* Si tamen infans qui-
 dam præter solitum versutia polleat, & qualiquam jam
 mali-



malitia & delinquendi capacitate præ aliis emineat, iudicis arbitrio relinquendū est, an talem ob verba minitancia effusa, v. gr. se velle cultro alium quendam puellum interficere, si cum indignatione proferat ac forsan geminet, vel eadem iteret, ut abstineat & præcaveatur malum, virgis deterreri potest, D. Stryk. *dissert. d. pœnis impuber. cap. 2. n. 204.* ubi ait: coërcitiones domesticas scholasticasq; in infantum persona, si debita discretione adhibeantur, huic ætati magis, quam ulli alii, proficuas evadere: hæc enim uti cerea est in vitium flecti, ita si iusta moderatione pœnarum à perverso quo inclinabat, tramite revocetur, tanto rectius postea in virtutum stadio percurrendo pergit.

THES. IV.

Impuberes infantia proximi, quamvis doli capaces non sint, & Doctores eos simpliciter infantibus æquiparandos existiment vid. Carpzov. p. 3. qv. 143. n. 30. add. l. 1. in fin. C. de fals. monet. l. 1. §. 15. deposit. l. III. de R. J. l. 4. §. 26. de dol. mal. §. met. except. ut propterea minè si proferantur ab ejusmodi personis, stacci sint habendæ, cum nullus in iis sit consensus & furiosis comparentur. §. 10. d. inutil. stipulat. Haunold. de J. & J. tom. 3. tr. 8. cap. 3. n. 190. Præcavenda tamen sunt mala inde metuenda & pœnis deterrendi vel castigandi, præsertim ubi doli capacitas haud obscuris signis in iis conspicitur, si quid delinquant, ne delinquere adsuecant propter liberam delictorum comminationem Sfort. Odd. *de restitut. in integr. part. 2. qv. 80. n. 45.*

TH. V.

Pubertati proximi, cum sensu & intellectu plenius gaudere incipiant, satisque percipere valeant, quid agant, delictorum formaliter talium capaces sunt. *l. iii. d. R. J. l. 23. de furt. l. 14. ff. ad Sc. Silanian. Carpzov. p. 3. qu. 143. n. 31.* ut hi quidem puniendi veniant, sed ordinario mitius.

Recto pollentes iudicio sibi à verbis minitantibus temperant abstinentque ab iis. Ita Chilon, referente Laert. *lib. 1. cap. 4.* dicere solebat, nulli minandum, non solum quod mulierum videatur esse potius, quam virorum, verum etiam quod minitari ei cui velis nocere, est inimicum admonere ut sibi caveat, sibi que ipsi lædendi facultatem adimere. Amicis autem minari, parum est humanum. Et Polydorus Alcamenis filius, teste Plutarch. in Laconicis, cum audiret quendam in hostes minas effundentem: Non intelligis, inquit, te maximam vindictæ partem frustra consumere? Qui enim statuit inimicum ulcisci, minis nihil aliud efficit, nisi ut præmonito inimico, sibi minuatur lædendi opportunitatem. Sic Christoph. Forstnerus *in not. polit. ad Corn. Tacit. annal. lib. 2. pag. 361.* prudenter ait: stultissimi sunt, qui minis & hostilem animum ostendentibus verbis temperare non possunt. Nec enim debiliior fit hostis, & testante Seneca (in Medea) *professa perdunt odia vindictæ locum.* Quâ in re notatur Galeatius Sforza, quod minitaretur vel potentissimis Regibus, quorum aliquam in se injuriam agnosceret, eoque consiliorum ipsius initium & finem simul cognita & can-

& eandem imprudentiam in Alfonso Calabriae Duce arguit Gvicciardinus *in historia lib. 1.* Ludibria enim & contumeliae ut plurimum efferatos & obstinatos reddunt hominum animos. vid. Tabor. *de Admenatione.*

THESES. VII.

Quod verò dictum : minas esse delictum sc. respectu ejus, in quem evomuntur; facile dijudicare licet, eas non aliter pro talibus haberi posse, quam si ex voluntate animi & dolose jactentur; ubi in dubio praesumitur animus dolosus, adeo ut reus eum abfuisse asserens probare teneatur *l. 5. C. d. injur.* Sin autem minae factae fuerint animo sedato; aut quis nimio animi calore in minas prorumpat, cessat praesumptio delicti, Farinac. *lib. 1. tit. 5. qv. 50. num. 27.* Daniel. Clasenius *ad Sanction. criminal. Carol. V. art. 32.* Voluntas enim & propositum distinguunt maleficia *l. 53. pr. d. furt. c. cum voluntate 54. X. d. sentent. excommunic. causa & intentio principalis consideranda l. si quis 4. de reb. cred. nec factum quaeritur, nec facti spectatur eventus, sed voluntas & causa faciendi l. verum. 39. de furt.*

THESES. VIII.

Accidit quandoque ut verbis quis minetur licito modo extra delictum. Sic apud Laertium *lib. 1. c. 4.* Chilon dixit: Rectè tamen minamur, quoties aliquem hoc remedio correctum esse cupimus, & hac poenâ decrevimus esse contenti. Eo modo minatur Propinquus,

quus, Præceptor vel Magistratus graviorem pœnam, si in posterum idem factum culposum aut delictum peracturus sit; imo sententia judicis haud rarò continetur: mit Betrohung (Verwarnung) daß wo er dergleichen Frevel künfftig verüben würde/ Er mit höherer Straffe angesehen werden solle. Ita non solum minis, sed multà, imò etiam carcere, dissentientes sponsum & sponsam ad reconciliationem & votorum consummationem adigere potest Judex ecclesiasticus. *Mev. p. 4. dec. 44. n. ult. D. Stryk. in annot. ad Brunnem. Jus Ecclesiast. lib. 2. c. 16. n. 7.* Item per Jocum vel Lulum proferri possunt verba minitantiæ, quæ omnia mœnendi, docendi, absterrendi, non vero injuriandi animo, & magis affectu propensiori quam dolo malo prolata censentur Angel. Aret. *de malef. verb. Imperiosa.*

CAPVT III.

DE

PERSONIS MINITANTIS IN QVAS VERBA MINITANTIA JACTANTUR.

SUMMARIÆ.

- I. *Homines cordati ne moveantur minis; quandoque tamen movent aliquem ut pejora metuens aliquid faciat, imò contrahat.*
- II. *Jactantur mina vel in publicas personas, vel privatas; & vel directè vel indirectè.*

rectè. III. Minarum verbalium justus metus non est. Dantur exceptiones: ut contractus rescindatur. IV. Quando quis nudis verbis, vel gestibus absque omni alio facto, actu aut preparatione ad percutiendum, eadem minatur, si ipsum minatus occidat, nullatenus à pœna homicidii ordinaria sese liberare potest. V. Aliud est, si cum minis terror armorum, maxime lethalium insultatum in vitæ discrimen adducit, tunc vel plane absolvendus, vel extraordinaria pœna plectendus. VI. Mulier ob minas præcedentes metuens iram & indignationem Parentis si occiderit partum recens editum, non pœna ordinaria, sed gladii punienda.

THESIS I.

EQuidem cordati homines minitancia verba non adeo timent, cum proverbii vicem bene obtineat: Sicut aliquando tonat sine fulgetris, idque tonitru terrorem habet, periculo vacat: Ita quorundam minæ terrent, non nocent. Erasim. Sic Orator missus ad Pyrrhum Epirotarum regem, qui jam exercitum in regionem Spartanorum induxerat, ut cognosceret, quid sibi vellet: cum Pyrrhus diceret, ut regem Cleonymum reciperent, hunc in modum respon-

§ (25) §

spondit: Si Deus est Cleonymus, non timemus ipsum, nihil enim sceleris in eum commissimus: sin homo est, profecto nihil nobis praestantior & bellicosior. Quo dilemmate irrita superbas regis minas. Qui enim superbe minantur aliis, videant, ne id, quod aliis minantur, in ipsos recidat. Plutarch. in Lacon. Prout tamen hominum malitia non una eademque est variatque, ita etiam contingit quandoque, ut minae alterius quem adeo adigant, ut pejora metuens aliquid agat, unde obligetur ad aliquid vel dandum faciendumve, vel ad poenam quandam sustinendam.

THESES. II.

Jactantur minae vel in personas publicas s. publica autoritate pollentes, vel in privatas, & quidem vel indirecte in alios, ad quos etiam pertinent, seu per consequentiam in societate politica vel economica; vel directe, & pro diversitate personarum earumque conditione minae aliae sunt atrociores, aliae leves, quemadmodum injuria, sine quibus minae vix efferuntur, ita dividuntur, quae genera ex facto, loco, persona aliisque circumstantiis aestimantur §. atrox 9. Inst. de injur. Schneidevv. l. 7. §. ult. l. 8. l. 9. l. 15. §. 28. l. 17. §. 3. Inprimis in minis attendendus est sexus, nam major metus sese exerit in Foemina, quam in Mare.

THESES. III.

Equidem minarum metus simpliciter pro justo non

D



non æstimatur in minitatio, sed vanus est ex parte causæ inferentis, si alicui infamiam quis minitetur, tales enim minas frustra quis metuit *l. 7. §. 1. quod met. caus.* fundamentum enim famæ in honestate morum, vitæ probitate aliisque qualitatibus positum, id quod nec atrocissimæ injuriæ evertere queant, D. Struvius *Syntagm. jur. civil. exerc. 39. th. 25.* Hinc si quis propter minas illatas aliquid promittat vel contrahat seseque obliget, negotium validum est, nec præter illati metus potest rescindi, vanæ enim timoris nulla excusatio est *l. 184. d. R. 7.* aut æstimatio, & ejusmodi meticulousum indignum fieri auxilio censet Colleg. Argentor. ad *tit. quod met. caus.* Non enim vanæ jactationes, minitantiæ verba, aut contestationes sive extrajudiciales protestationes coram vicinis & amicis metuendæ sunt, sed atrocitas facti *l. 9. C. eod. i. e. periculum salutis & cruciatus corporis & similia l. 13. C. de transact.* D. Parens in *additionibus locupletissimis ad incomparabilis Struviani Syntagmatis exerc. 8. th. 12. lit. I.* Si tamen atroces & capitales minæ cum actu quodam in delictum proxime tendente sint conjunctæ, & minitator sit homo vindicativus, ein rächgerig Blut / & consuetus suas minas illico executioni dare *l. 7. 9. quod met. caus.* Jac. Ayser. in *process. part. 1. n. 60.* & ab eo profectæ, qui exequi facile solet minas. *l. 7. l. 9. quod met. caus.* vel ex aliis rationibus executio juste metuenda sit, Zoef. ad *d. t. n. 16.* id quod actum stricti juris ratione habita valet, sed succurritur minitatio prætoriam actione, sc. quod metus causa, ut in integrum restituatur vid. Brunnem. ad *l. 7. C. quod met. caus.* Vel etiam minæ ab eo proficiscuntur, qui ex potestate sibi concessa subjectos sibi in Republ. habet, ut si pote.

potestate sua abutens terreat alius ; verba minitancia tanquam probabilis metus suspicio pariunt rescissionem contractus. Brunnem. d. l.

THES. IV.

Quod delicta attinet, dicendum est, quando quis vel nudis verbis, vel gestibus, absque omni alio facto, actu aut preparatione ad percutiendum, cadem minatur, si ipsum minatus occidat, nullatenus a poena homicidii ordinaria sese liberare posse Petr. Theodoric. *disp. crim. fin. th. 5. lit. e.* tum quod nudis verbis aut gestibus minator nondum incipit offendere & facto insultare, neque procedit ad actum proximum, ideoque tunc verbis obistere, non autem ad manus & ferrum devenire licet ; alias si pro solis verbis verbera referentur, analogia defensionis minime servaretur, Jodoc. Damhouder. *in pract. crim. c. 76.* tum, licet minæ verbales terrorem alicui incutiant *l. 1. in fin. C. si quacunq. prædit. potest. l. 1. C. si Re-ctor. provinc.* non tamen per illas præsens & tale vitæ periculum imminet, quod aliter verbis, vel judiciali autoritate propelli & declinari nequeat. Et certe multi reperiuntur Thrasones, qui alicui ex frivola sæpe causa satyras & mortem minantur, quorum tamen comminationes stultæ non pluris faciendæ, quam fulgur ex vitro, aut quanti nûgæ obstetricum, & delirantium jam vetularum, v. Carpz. *pract. crim. p. 1. qu. 29. n. 57.* ubi poenam ordinariam ejusmodi minitatio minitantem occidenti à Scabinis Electoralibus dictatam fuisse refert.

am P

D 2

THES.



Si vero cum minis terror armorum, maxime lethali-
 um, insultatum in vitæ discrimen adducat, in vitæ au-
 tem discrimine constitutus iuste se usque ad internecio-
 nem alterius defendere iure possit. *l. 2. C. de sicar.* quare
 non & insultatus, qui huiusmodi metum patitur? Mar.
 Salom. *in repetit. l. 3. d. 7. §. 7. Myning. 3. consil. 27. n. 3.*
4. §. 7. Hinc Carpz. *pract. crim. part. 1. quest. 29. n. 57.*
 ait: Quando minas jactans simul se præparat ad mina-
 rum executionem, veluti manus ad gladium admo-
 vendo, brachium elevando, stringendo aut enudando gla-
 dium, arripiendo lapides, bombardam è theca eximen-
 do, aut aliter ad offendendum se præparando; vel quan-
 do adversarius minatur ictum cum ense, quem jam ma-
 nibus tenet, aut venit contra aliquem cum cultello vel
 ense, ita ut terror & metus extremus actui proximus ad-
 sit *l. 3. §. 5. de vi & vi armat.* tunc certe insultatus in vitæ
 discrimine constitutus primum ictum expectare non te-
 netur, sed sibi in tempore benè prospicere potest, & si
 defendendi sui gratia minitatorem occidat, à pœna legis
 Cornelia de sicariis immunis est, & vel plane absolvi, vel
 ob commissum excessum moderaminis inculpata tutela
 arbitrarie relegatione vel carcere puniri debet, tum ob
 textum *in l. quid est 3. §. qui armatis. de vi & vi armat.* tum
 ob *artic. 140. §. fin. Sanct. crim. Carol. V.* tum quod melius
 sit in tempore occurrere quam post exitum vindicare *l. 1.*
post med. C. quand. liceat unic. fin. jud. tum quia præsens ar-
 morum terror offensionis proximus est, potentia autem
 actui proxima censetur esse in ipso actu. *l. 1. §. 21. l. 18. §. 2.*
d. aqu. poss. & ita pronunciatum esse refert Carpz. *d. l.*

THES.

Hoc quoque notandum, quod si Pater minatus sit filia, si imprægnata sit celetque atque pariat, quod velit ad internecionem fugigare, *Er wolle sie auf Türkisch biß auf den Tod präfigeln* / & filia metuens indignationem patris occidat recens natum partum, quod propter minas in hoc delicto temperetur pœna, quæ ordinariæ culei est, & gladium dictari visum æquius sit, tum, quod ii, qui minis seu metu coacti, delinquant, aliquo modo excusentur. Jul. Clar. *in pract. §. fin. qv. 60. n. 17.* Bertaz. *consil. 173. n. 8. lib. 1. & consil. 266. n. 3. lib. 2.* nam propter metum delinquentes videntur coacte delinquere: coacta autem voluntas non est voluntas, *l. velle non creditur ff. d. R. 7.* ubi Gloss. & Decius *n. i. d. R. 7.* tum quod quælibet iusta credulitas, imo etiam causa iniusta à pœna ordinariæ excuset Jul. Clar. *in pract. crim. §. fin. qv. 60. n. 22.* v. Carpzov. *pract. crim. p. 1. qv. 18. n. 50.* ubi simili ferme in casu pronunciatum fuisse refert. *num. 53.*

CAPVT IV.

TRACTAT

QVÆNAM INCOMMODA SECVM TRAHANT VERBA MINITAN- TIA ET IN SPECIE, QVATENVS MINATOR AD CAUTIONEM DE NON OFFEN- DENDO TENEATVR.

SVMMARIA.

- I. *Mina ex insensissimo prodire solent pectore.*
- II. *Presumitur verba minitania spargens*

D 3

de

de minato male cogitare. III. Ob minas sponsalia possunt dissolvi. IV. Recusari potest Judex minans. V. Minator non potest alterum de crimine aliquo accusare; neque contra minitatum testis esse, neque ex minitatoris effatis specialis inquisitio decerni. VI. Probatis minis minator potest carceri mancipari, & minitatus, minatori si non habeat unde se alat, alimenta suppeditare. VII. Ex carcere non aliter dimittitur Minitator, quam si cautionem de non offendendo praestet. Quae cautio praestanda est à minatore, etiamsi carceri nondum inclusus, actione in factum. Potest judex ex officio cognoscere; potest minatorem peremptorie citare. VIII. Accusatus potest petere spatium ad deducendam sui defensionem. IX. Praestanda est cautio vel per pignora, vel per fidejussores. X. Praestat cautionem, etiamsi qui petit sibi caveri, causam inimicitiae dederit. XI. Quid si nulla certa quantitas sit expressa in cautione, arbitrium statuendi penes judicem est. XII. Num juratoria cautio locum habeat? Referuntur sententiae DD. XIII.

XIII. *Affirmatur certis sub conditionibus.*

XIV. *Maritus sapiens & minas evomens tenetur cavere.*

THESES. I.

Minator tam erga proximum, quam semetipsum graviter peccat, seseque ex facto obligat illicito. Nam cum verba minitancia, v. g. quod quis alterum velit occidere, aut insigniter ei nocere, nihil nisi odium & inimicitiam concilient capitalem; Mascard. *de probat. conclus. 900. num. 14.* Card. Tusch. *conclus. 149. tit. I. n. 4.* Sichard. *ad l. 22. C. d. procurat. n. 3.* Cravetta *consil. 35. n. 1.* Schrader. *vol. 2. consil. 27. n. 22.* & ex solis minis de occidendo inimicitia oritur, Mascard. *d. l. n. 14.* non enim non possunt ejusmodi minæ ex infensissimo prodire pectore; ut nec distingvendum sit cum Mascard. *d. l. n. 15.* Wesenb. *p. 1. cons. 43. n. 153.* Salycet. *ad l. I. C. quando sic. unicuique sine judic. n. II.* utrum is, qui minatur tantæ potentæ sit, ut possit minas effectui dare, aut etiam utrum solitus fuerit minas exequi, an non; sæpissime enim vel impotentissimi nobis sunt infensissimi, eoque magis exacerbantur, quo minus quodvis propositum ad exitum perducere possunt, D. Joachim. *Hoppius dissert. d. inimicit. capitalib. rh. 10.* vid. tamen Farinac. *tr. crimin. lib. II. tit. 5. qv. 49.* cum & rarò injuriæ à minis abesse, imò inertæ soleant esse, quæ non ex alio, quam maligno atque odii plenissimo pectore profisciscuntur, ut, illis legitime probatis, inde manifesta sit inferentis inimicitia.

THESES.

Sequitur inde, quod præsumatur verba minitantiã spargens, tanquam inimicus de minato tanquam inimico & vice versa male cogitare, sibi que invicem insidias struere, ac mala cupere continuo. Mascard. *de probat.* vol. 1, *concl.* 98. n. 2. Besold. p. 2, *conf.* 295. n. 1.

THES. III.

Quamvis amantium irã, dicto Comici, amoris redintegratio esse soleant, & ob inimicitiam inter spon-
 sos ortam non sint dissolvenda sponsalia; cum, contra-
 ctis sponsalibus, Deo obligatio sit quæsita, à qua ideo se
 pro lubitu liberare nequeunt contrahentes. *Mev. p. 2. de-*
cis. 210. *Carpzov. in Jurispr. Eccles. lib. 2. def.* 173. *Fin-*
ckelth. obs. 42. Si tamen Judex adeo obstinatos animad-
 verterit animos, ut nullis conciliationis mediis flecti
 queant, præsertim si sponsus sponsa minatus sit: *Er*
wolle sie krumb und lahm schlagen / sie solle kein
guten Tag bey ihm haben / vel sponsa sponso, sie wol-
le ihm kein gut thun / wolte ihn zum Cornuten ma-
chen &c. præstat omnino rescindere sponsalia, quàm tha-
 lamo vi extrema alligare. *Menoch. de arbitr. Judic. quest.*
cas. 455. n. 1. Ubi enim non est mutuus amor Conjugum,
 ibi discordia distrahit mentes, impedit invocationem
 Dei, turbat totam domesticam consuetudinem, viamque
 patefacit tragicis & quibuslibet tristissimis casibus. *Carp-*
zov. Jurispr. Eccles. lib. 2. def. 176. n. 14.

THES. IV.

Quando judex minatus est, *Er wolte Mevio es ein-*
sten

sten gedencken / unde de ipsius erga hunc animo male-
 volo queat constare ; & Mevius convenitur à Cajo, ille
 verò probat minas fuisse prolatas adversus ipsum, dubi-
 um vix erit, quod omninò contra judicem inimicum tu-
 tò excipere illumque ut suspectum repudiare possit / *g.*
pr. de liberal. caus. arg. l. 10. de Jurisd. c. secundo 41. in fin. X.
de appellat. c. inter 5. X. d. except. Schrader, vol. 2. cons. 27.
n. 8. & 9. Perez. ad tit. C. de judic. n. 24. Et si juramento
 adstringitur judex, quod cum veritate & legum observa-
 tione iudicium velit disponere, *l. 14. C. de judic.* tanta ta-
 men est humanæ naturæ imbecillitas, ut affectibus abre-
 pti homines nihilominus in vetitum nitantur, & insuper
 habito Sacramento, ea quandoque vindictæ cupiditate
 committant, quæ perpetrare, etiam non data fide, reli-
 gio est, Zieglerus *de offic. judic. concl. 13. §. 33.* ubi etiam §.
 35. ob leviolem offensionem recusari posse judicem asse-
 rit, add. Garl. Mastrill. *decis. 151. n. 46.* Idem dicendum,
 si Mevius minatus sit Judici, **Er wolte ihm einen**
Schimpff beweisen / nam nihil interest unde causa ini-
 micitæ, culpa partis (nisi dolo esset procurata, ad hoc,
 ut eum recusare possit ; quia fraus sua nemini prodesse
 debet. *l. 1. §. 1. de dol. mal. & met. except. l. 1. pr. l. 12. d. dot.*
mal.) culpave judicis veniat, D. Fromman, *disp. de inimi-*
cit. tb. 25.

THES. V.

Qui male de altero sensit minatusque vindictam
 ipsi est, procul dubio inimicum se profitetur, ut nec alte-
 rum de crimine aliquo possit accusare, *c. fin. caus. 3. qv. 5.*
c. 7. 10. 13. X. de accusat. cum nemo majori calumniæ iu-
 spicione laboret, quam inimicus, Zœl. *ad ff. tit. de accu-*

E

sat.

fat. n. 7. neque potest crimen denunciare. c. 19. X. de accusat. Farinac. pract. crim. lib. 1. tit. 2. qv. 12. n. 40. neque Testis esse, l. 3. pr. in fin. de testib. auth. si testis C. eod. Nov. 90. c. 6. c. repellatur. 7. c. 10. 13. § 19. X. de accusat. can. 2. § seqq. caus. 3. qv. 5. Butrigar. de testib. cap. 1. n. 15. quia inimici facile mentiri creduntur l. 1. §. 24. de quaestor. & tantum id intendere, ut eum, quem odio habent, pessumdent, ac perdant, Jodoc. Damhoud. de test. cap. 1. num. 3. Neque si in generali inquisitione talis inimicus adhibeatur & contra inimicum deponat, & minitantibus verbis ac inimicitia probatis, specialis inquisitio ex hujus solius depositione non potest institui. Crus. de indicis. 78. n. 3. multò minus ad torturam deveniendum. Bald. vol. 3. conf. 316.

THEs. VI.

Probatis minis, si minitans non possit cautionem de non offendendo præstare, ad carcerem rapi eique mancipari debet, ne locus detur facinus animo ad persecutionem inductum exequendi, neque iudex eum inde dimittere potest, antequam desideratam & decretam cautionem minitato præstet. Ubi si incarceratus tantum habet in bonis, unde alimenta & subinde sumtus carceris defumi possunt, de suis alendus est, ipseque de suis bonis sumtus carceris defumere debet. Et si fortean habeat bona sub alterius jurisdictione sita, ex illis defumi debet, quantum opus fuerit ad necessaria vitæ subsidia, & erogandos sumtus incarcerationis; Magistratus autem vel Iudex ille, in cujus ditione vel districtu bona incarcerati continentur, vi Sanctionis Carol. art. 176. obligatur non vetare, vel impedire, quo minus ex illis opibus tantum, quantum

tum

tum necessitas & consuetudo loci requirit, ad præstandos sumtus alimentorum & carceris impendi debeat. Incarceratus, dum de suis se alere & sumtus carceris solvere tenetur, sibi imputet ipsi, quod periculosa comminatione causam dederit incarcerationi D. Clafenius *ad Sanct. crim. d. l.* Si verò minitator incarceratus facultatibus destitutus non habeat, unde se alere possit, minitatus ipsi alimenta præbere tenebitur, *Sanct. Crim. Carol. V. art. 176. v. Und wo Er sich von sein selbst Gütern* &c. Gilhauf *ad d. art.* quod nec à jure communi alienum videtur, pro ut apparet ex traditis à Nicol. Boër. *decis. 103. n. 2.* Jason. *in l. si victum. 34. n. 2. d. re judic.* Hippol. de Marfil. *in pract. crimin. §. attingam n. 74.* cum ad ipsius requisitionem minitator in carcerem coniectus est, inque eo detinetur, donec cautionem de non offendendo præstiterit; fitque hæc detentio s. inclusio ad securitatem pro se, suis liberis & bonis; ut propterea nequeat detrectare tantum persolvere, quantum requiritur ad alendum incarceratum, & solvendos sumtus carceris, vel ad minimum de iis præstandis cavere debet judici. Clafen. *d. l.* Quod si nec minitatus incarceratum ob inopiam exhibere eive necessaria alimenta nec debitos sumtus subministrare valeat, nec habeat unde alimenta præstet, Judici tum incumbere, ex fisco seu publico incarceratum sustentare, satis apparet ex *d. art. 176. Sanct. crim. Carol. V. vers. wo nun der Anfläger.* Carpzov. *part. 4. c. 15. def. 10.* quoniam officio Magistratus incumbit operam dare, ut in sua civitate, jurisdictione aut districtu hominibus cautum sit de securitate: ut proinde Judex, quod deest, suppleat. Clafen. *d. l.*

Ex carcere non aliter dimittitur Minator, quam si cautionem de non offendendo, seu conservando pacem, præster, quæ etiam præstanda à minatore, etiam si carceri nondum sit inclusus actione in factum peti potest, dum minitatus minas narrat ac probat periculum hinc imminens exaggerando. Potest etiam iudex ex officio, facta denunciatione parte citata de causa cognoscere; potest quoque absque ullo iudicii strepitu ex relatione proborum hominum se informare, & si periculum in mora aut reus de fuga suspectus sit, à capturâ incipere, etiam si dies sint festi atque feriat *arg. l. 3. C. de fer. Herculan. de caution. de non offendendo cap. 3. n. 11. 12.* Si vero reus latitat, & neque citatus comparet, nec sui copia haberi potest, iudex minatorem peremptorie citet, vel curet, ut citatio ad domum solitæ habitationis ejus insinuetur, vel in loco publico consveto affigatur, hunc ferme in modum: *Præcipimus tibi Titio, ut intra biduum coram nobis compareas ad cavendum & fidejubendum de non offendendo Mevium, sub pœna mille Imperialium. Quod si cautionem prædictam non dederis, illam haberi volumus pro data, & ita ex nunc prout ex tunc declaramus. Sin vero te senseris gravatum, compareas, justitiam recepturus &c.* Fundatur hic procedendi modus in *l. cum postulassem 44. d. damn. infect.* & svadetur ab Herculanô *d. l. cap. 5. n. 5.*

THEs. VIII.

Eo tamen casu, quo quis minarum inculpatur seu potius accusatur, ne in carcerem detrudatur, potest petere

tere spatium ad deducendam sui defensionem, ita tamen ut caveat de iudicio listi & iudicatum solvi, ac iudex officium suum interponat, ac præceptum det, ne una vel altera pars quid moveat, juxta not. per Bart. in l. 1. §. 1. uti possidetis arg. l. 13. §. 3. vers. aquisitum de usufruct. Bene agit Iudex, si quatenus ab utraque forsitan parte calumniae sint sparsæ, quas secutæ sunt minæ, in originem & occasionem litigiorum, quoad fieri possit, curatè inquirat, ne una pars præ altera gravetur.

THESES. IX.

Præstanda est cautio vel per pignora, vel per fidejussores Jul. Clar. lib. 5. sentent. qv. 47. n. 5. ea enim cautio demum sufficiens intelligitur, quæ sit per fidejussores cap. 13. ibi sufficiente securitate promissa X. de restit. spoliat. Herculian de caut. de non offendend. c. 4. n. 3. Petr. à Planca in epitom. delict. lib. 1. c. 7. n. 2. Farinac. qv. 107. art. 4. n. 36. Sint autem necesse est idonei, qui dantur fidejussores & ad certam ac determinatam summam pro conditione personæ & ponderatis circumstantiis ad 50. 100. 200. 300. & ad 1000. usque se obligent, Coler. in decis. 29. c. 3. n. 86. Carpz. prax. crim. part. 3. qv. 112. n. 3. ad summam, quam minitatori determinat Iudex, ut minitator promittat, quod neque per alios, consanguinitate, affinitate aut amicitia sibi conjunctos, non solum ipsum principalem minitatum, sed & ejus familiam, amicos, Magistratum, aliosve homines offendere, sed ab omni illicito & violento facto abstinere & jus suum, si quid habere putet, licitis juris remediis prosequi velit. Farinac. quest. 107. n. 25. seq.



Berlich. p. 4. concl. 22. n. 14. & 15. Carpz. pr. cr. q. 37. n. 81. Mev. ad Jus Lubec. lib. 4. tit. 16. §. 4.

THES. X.

Præstet cautionem minator necesse est, etiamsi ille, qui petit sibi caveri, causam inimicitia dederit, cum hac in cautione potius inspiciatur justus timor, quam causa rixæ, & semper in civitate eo tenditur, ut omnia sint tranquilla & pacata Bartol. in l. qui bona fide ff. de damn. inf. Ripa in rubr. de judic. potest. n. 14. vers. præmissa etiam. Jul. Clar. lib. 5. sentent. qv. 47. n. 4.

THES. XI.

Quid si nulla certa quantitas sit expressa in cautione, arbitrium statuendi summam penes Judicem est, prout visum fuerit ipsi, neque refugere eam potest fidejussor regerens, si eam scivisset antequam dictaretur hæc summa, fidem suam nunquam interposuisset; sibi enim decet imputare, quod indifferenter etiam non expressa summa fidejusserit, cum facile scire potuerit in gravi delicto non levem summam locum habere, imo eo ipso, quo non expressa summa fidejussit, tacite promississe videtur eam se soluturum esse cautionem, quam Judex, ponderatis omnibus circumstantiis, sit determinaturus v. Magnif. D. Struv. Syntagm. jur. civil. exerc. 47. th. 39. Richter vol. 2. consil. 371. n. 21.

THES. XII.

Quid si Minitator cautionem de non offendendo
per

§ (39) §

per fidejussores vel etiam pignora prestare non valeat, num ad juratoriam cautionem admitti debeat? Salgado de Somola *part. 1. cap. fin. n. 1.* existimat, cautionem juratoriam in causis arduis non admitti, etsi de paupertate & impotentia fidejubendi alias constet, add. Alexander, *in conf. 168. n. 10.* Exulet potius, vel ad avertendum periculum relegetur minitator, donec idoneam cautionem fidejussoriam vel pignoratitiam invenerit. Tuschus *tom. 1. concl. 169. num. 13.* Quemadmodum militem quendam ob minas contra personam quandam illustrem ejectas, ante vicennium in arce Rochlizensi in carcere, donec usque moreretur, detentum fuisse meminit Carpsov. *pr. cr. part. 1. qv. 37. n. 93.* quod homines malæ vitæ & conditionis, quanto sint pauperiores, tanto etiam promptiores ad delinquendum, cum non timeant confiscationem bonorum, quæ non habent, Jul. Clar. *lib. 5. sent. qv. 47. num. 5.*

THES. XIII.

Verum, per exilium metus non tollitur, potius ob id magis excandescit ejusmodi homo, & quovis modo etiam per intermediam personam insidiari intendit; cum non facile relegatione coerceatur, qui malum propositum exequi intendit. Alii rem omnem arbitrio judicis committi debere asserunt, ita ut ille, pro diversitate circumstantiarum, præcipuè personarum statuere debeat, an cum, an sine fidejussoribus cavendum sit? Nicol Moronus, *d. trenga fide & pace, qv. 170. n. 3.* cum Menoch. Herculan. & Vulp. Farinac. *qv. crim. 107. n. 39.* Mevius

ad



ad Jus Lubecens. p. 4. tit. 16. art. 4 n. 19. ubi dicit: iudicis esse, determinare, quæ idonea sit cautio, inspecta qualitate minitatoris, minitati, & ipsarum minarum. D. Harprecht. in diff. de caut. juratoria ch. 53, ad informandam Iudicis religionem ita distinguit; Vel ille, à quo hæc cautio exigitur, est persona suspecta v. gr. rixosa malæ famæ & vitæ, unoque verbo talis, ut valde verendum sit, fore, ut ipse, non obstante jurata sua promissione, nihilominus minas à sese effusas sit executurus, & tunc utique iudex cautionem juratoriam ab ipso oblatam haud attendet vel admittet, sed mittendus eousque in carcerem, donec idonee cavere valeat, quod dicit Gvazin. def. 8. aut in exilium, uti videtur Farinac. d. qv. 107. n. 41. vel ipse alioqui vir bonæ famæ & vitæ est, & talis, ut non multum ab ipso metuendum sit; tunc equidem cautionem juratoriam admittendam esse, recte asserere videtur cum Ripa & Clar. D. Stryk. diff. de carcere ad custodiam c. 3. n. 11. Sicut vero Titius, optimæ alias vitæ & famæ, ex calore iracundiæ, vel in ebrietate tales minas effunderet, sane hoc in casu vlx est, ut ille juratoriæ suæ cautioni non sit committendus; & ita sentit Remus ad Sanct. crim. art. 178. ibi: *in paupere admittitur interdum cautio juratoria, si sit bonæ vocis & famæ.* Sane si Minitatus ipsemet minitatori aliquo modo indulgere, ejusque cautioni juratoriæ fidere velit, tunc eo magis minitator, præstito juramento dimittendus, quia cautio de non offendendo jus partis est, ut eo magis minitato ita volente talis cautio admitti debeat. Carpzov. pr. crim. p. 1. qv. 37. n. 94.

THES. XIV.

Hinc si inter Conjuges dissidia orta sint, & Maritus faviens

§ (41) §

ſaviensin mulierem majora pericula & mortem minatus ſit, ita ut hæc ad ſeparationem agat, ea non obtinetur, ſi fatidet vel caveat maritus de amplius offendendo; antequam enim hoc fiat, uxor non tenetur ei cohabitare Carpzov. *Jurispr. Conſiſtorial. lib. 2. tit. 12. def. 218. n. 12. & ſeqq.* quo caſu, ſi neque fidejuſſoribus neque pignoriſus pars nocens cavere poſſit, cautionem juratoriam admittendam putant Coler. *p. 2. deciſ. 232. n. 4.* Richter. *vol. 2. conſil. 466. n. 3.* eamque cautionem in Conſiſtorio Studgardiano an. 1602. d. 25. Febr. admiſſam dicit Bidentbach *promtuar. connub. c. 5. qv. 1.* ne videlicet maritus, pignoriſus & fidejuſſoribus deſtitutus carere cogatur conjugē, cui fidem & humanitatem promittere & jurato quidem, eſt paratus. D. Bartili *diſſ. de ſeparatione Cohabitatiōnis th. 26.* Quod ſi tamen Maritus talis ſit perſona, cui fatis tuto conjux fidere nec velit, nec poſſit, num juratoria cautio ſit admittenda, prudens judex arbitrabitur Canis. *ad c. 2. X. de divort. n. 3.* Covarruv *in lib. 4. decretal. cap. 7. §. 5. num. 1.* Carpzov. *Jurispr. Conſiſt. lib. 2. tit. 12. def. 219.*

CAPVT V. ET ULTIMVM

Quatenus

MINÆ INDICIUM FACIANT

AD TORTVRAM.

SYMMARIA.

I. *In delictis perpetratis, ſi de autore non conſtet, minantia verba faciunt ad Inquiſitionem, imo ad torturam indicium.* II. *Sola inimi-*

F citia



*citia capitalis absque concurrentibus aliis
indiciis non faciunt indicium ad torturam.
III. Quenam sint requisita, ut mina ad
torquendum sufficiant. IV. Quo modo mi-
na homicidam faciant suspectum, ut tor-
queri possit. V. Quid mina circa investi-
gandum crimen Magie operentur.*

THESES. I.

Non minimus est effectus verborum minantium
(quæ semper odium & inimicitias in se conti-
nent) quod in delictis commissis & quando de
autore non constat, tam ad inquisitionem, ut præsumtio
fit contra minantem text. in art. 25. Sanct. crim. cum ani-
mus ac voluntas non solum ex rebus & factis, sed etiam
ex verbis colligatur, l. 20. de acqu. vel omitt. hered. neque
credendum sit, quod quis verbo exprimat id, quod prius
mente non cogitavit per l. Labeo circ. fin. de supellect. le-
gat. Weizenegger, dissert. 6. c. 7. n. 107. quam ad torquen-
dum faciunt indicium juxta l. metum C. quod metus caus.
Cynus in l. un. C. si quis imperat. maledixerit. Everhard.
in Top. in loc. à tempore ad temp. n. 3. Marfil. cons. 3. n. 13.
vid. Sanct. Crim. Carol. V. artic. 44. ibi: Oder jemand
zu bezaubern bedræuet / e. gr. Ich wil dir gebencken/
ich wil dir einen rothen Hahn auf das Haus setzen/
das Messer im Leibe umwenden / vel alio modo.

THESES. II.

Equidem sola inimicitia capitalis non est sufficiens in-

110.

§§ (43) §

indiciū, ut specialis inquisitio institui possit contra inimicum capitalem illius, qui v. gr. occisus est, neque de ipso delicto examinari Brunnem. *in process. inquisit. cap. 4. §. 37.* neque progredi potest Judex ad Torturam. Zanger. *d. tortur. c. 2. n. 113.* quoniam talis inimicitia seorsim absque concurrentibus aliis adminiculis considerata est indicium remotum, & nimis fragile ad torquendum, raro aut nunquam pro proquinquo & speciali Marsil. *conf. 72. n. 12.* Dissentiente licet Cravett. *Consil. 612. n. 4.* ut proinde alia adminicula & conjecturæ adsint, si effectum torturæ operari debeant. Matth. Stephan. *ad artic. 25. Sanct. crimin. n. 7.* Maximi enim præjudicii res est tortura, ad quam non ita facile ad inquisitionem properandum est. Manzius *ad d. art. 26. n. 3.* Menoch. *de presumt. lib. 1. pres. 89. n. 51.* Carpzov. *pract. crim. qv. 120. num. 48.*

THES. III.

Ut itaque minæ & verba minitantiā faciant torturæ locum, requirunt DD. vid. Clasenius *in comment. ad Sanct. criminal. cent. V. art. 25.* (I) *ut facta sint ab eo, qui illa consuevit exequi.* Farinac. Brunus *in tract. de indic. & tortur. pag. 16.* Farinac. *tom. 1. oper. crimin. lib. 1. tit 5. qv. 50. n. 30.* Sæpe enim reperiuntur vani jactatores, qui quidem verbis, nescio quam vindictam spirant, minas tamen (vid. supra cap. 3. th. 4.) non exequantur. Sæpe quoque aliquis ex animi indignatione minitatur verba vindictæ, a quibus tamen dis:usso animi fervore, postmodum abstinet, qualia non sufficiens indicium ad torturam faciunt, Farinac. *d. l. n. 14.* Mascard. *de probat. vol. 2. concl. 1062. n. 10.* Godelman. *lib. 3. c. 3. n. 16. & cap. 10. n. 17. in fin.* qui



exemplum aliquod de foemina refert, quæ propter has minas torturæ subjecta, postea vero non a se, sed ab alio inimico impletas minas, innocens reperta fuit. Ita etiam Nicol. Boër. *decis. 166, n. 3.* scribit, quod mulier quædam per fenestram prospiciens alicui prætereunti, quem odio prosequeretur, dixerit: Crura tibi succidi curabo brevi: Quas minas cum alius quispiam osor illius, cui ea mulier minata fuerat, audisset, arrepta occasione vulneribus eundem confecerit: ipsam vero mulierem probatis illis minis captam fuisse, & tormentis suppositam, quorum cruciatu confessa sit, suo mandatu illi homini vulnera illata esse, proindeque ipsam supplicio fuisse affectam: at paulo post innocentiam ejus detectam esse. Plura vid. ap. Jacob. Schultz. *voc. Mina*; Accedit quod verba comminatoria generaliter prolata in dubio debeant intelligi de vindicta, quæ fit per viam juris, non autem quæ fit propria auctoritate Manzius *ad d. art. 25.* Quod si vero minæ profectæ sint ab eo, qui illas solitus fuit executioni dare, tum utique exinde indicium sumi potest ad torturam, cum primis si alia quædam adhuc accedant, Gomez. *var. resolut. lib. 3. c. 13, n. 11.* (2.) *Si mimitator fuerit potens, homo male fama in eodem genere malus, ut præsumtio adversus eum sit magna, quod ob ferociam animi, & morum improbitatem & amicitiam potentum, quorum favore fretus sub spe immunitatis temere delinquere solet, velit & possit suas minas ad effectum perducere. Nam cum sinistra quædam de minis exequendis suspicio in talem hominem cadat, utique illa verba comminatoria contra ipsum operari possunt indicium ad torturam.* (3.) *Si mimitator certam aliquam delicti speciem mimita-*

minatus fuerit, i. e. verba protulerit, quæ certum & nominatum delictum contineant. Nam generales minæ ad torturam, ut antea dictum est, indicium non faciunt, cum benigniore adhibita interpretatione in meliorem sensum ad averteendam torturam verti & trahi possint. Farinac. d. qv. crim. 50. n. 18. (4.) *Si maleficcium, quod quis alteri minatus est, revera subsecutum fuerit, & quidem in continenti, vel intra modicum tempus. Quodnam vero in proposito casu dicatur modicum tempus in jure definitum non est; unde illud relinquendum est arbitrio Judicis. Hinc dicunt, quod brevis temporis in similibus magnum habeat effectum ob præsumtionem doli & delicti. Secus est, si notabile aliquod intervallum temporis intervenerit, eo namque casu minæ ad torturam non faciunt indicium, Conrad. in pract. in rubr. de negat. crimin. & torm. n. 24. col. 2. in fin. Farinac. d. qv. 50. n. 15. 16. Clafen. d. l.*

THES. IV.

Si de occisore constat, is vero dicat, se homicidium ob defensionem commisisse, homicidium præsumitur deliberato patratum, ita minæ præcedentes inducunt præsumtionem animi deliberati, & præsumi faciunt delictum subsecutum dolo & fraude minantis, & quod ex animi pravitate, & malignitate minas, & minatoria verba protulerit *arg. text. in l. cum ratio, §. ex bonis ibi: fraudibus ff. de bon. damnat. & l. ex. quodam injuriandi proposito §. pen. & fin. ff. de serv. fugit.* Hinc Farinac. *quest. crimin. quest. 50. n. 2.* infert: Propterea si is, in quem minæ fuerint illatæ, reperiatur mortuus, & minans fateatur il-

lum occidisse, sed in pura rixa, vel casu, præsumendum sit tale homicidium non casu, & in rixa, sed ex proposito, & deliberato patratum, Menoch. *de arbitr. jud. quæst. lib. 2. cas. 361. n. 39.* Mascard. *de probat. libr. 1. concl. 98. n. 6. & lib. 2. concl. 1017. n. 5. & 6.* Farinac. *d. l. ubi n. 8.* ampliatur, ut minæ faciant indicium ad torturam, non solum, quando sunt expresse de vulnerando, occidendo, aut aliter offendendo, sed etiam quando sunt tacite factæ, & quodammodo per ænigma, vid. *Tb. 1. hij. cap. prolata, ut per Gandin. in tit. d. præsumt. & indic. dubitat. sub n. 23.* Ubi ponit exemplum in eo, qui alteri minatur se velle ei trahere unam pennam de ala, vel quod faciet sibi dolere caput, aut quid simile.

THES. V.

Minæ in imputato crimine Veneficii, Magiæ faciunt indicium ad torturam *Sanct. criminal art. 44.* si quis perniciem fuerit minatus alteri, quod ipsum incantare vel fascinare, & malum id, quod minatus aliquis est alteri, subsequatur, ibi: *Oder jemand zu bezaubern bedrauet/und dem Bedraueten dergleichen geschicht/ add. d. art. 32. ibi: oder solche Missethat vor der Geschicht zu thun gedrauet hat.* Et hoc præsertim in Sagis erit recipiendum: Constat enim, quam foeminae natura sint vindictæ cupidæ. Quo enim imbecillior est mulierum natura, eo animus earum ad nocendum est paratior, juxta illud:

*Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet
Effrenis Monachus, plenaque fraudis anus.*

Et

Et licet minæ factum ipsum non probent, probant tamen inimicitias capitales, *Besold in thesaur. pract. v. Heren n. 2. Nic. Brand. dissert. de legitima maleficos & sagas investigandi & convincendiratione part. 2. th. 28. Modò juxta d. art. 32 persona talis sit, contra quam, se ejusmodi quædam perpetrare, militat præsumtio, v. gr. si sit malæ famæ &c. de quibus supra dictum. Idem procedit, ac observatur in aliis delictis, ubi minæ quid ad torturam facere possunt; Plura vid. apud Farinac. in quest. criminal. quest. 50. per totam. Plura respectu pœnarum in eos, qui minas jactitant (quæ arbitrariæ sunt) dici possunt, sed hic subsisto.*

COROLLARIA.

- 1. **C**aveat Judex ne nimis elicere studeat veritatem.
- 2. Cautelis honestis, nec ad decipiendum directis judex uti potest.
- 3. Mulier ob dotem promissam, non vero solutam domo expelli non potest.
- 4. Unius voluntate & pœnitentia sponsalia de futuro dissolvuntur.
- 5. Non valet de Jure Sax. extrajudicialis pæctio, ut donec integrum pretium fuerit solutum hypotheca loco res vendita sit, neque beneficio hujus hypothecæ aliis creditoribus, posteriorem hypothecam judicalem habentibus præferatur.
- 6. Rationes & libri Mercatorum probant pro allegante.

ERROR.

P. 8. in summar. lin. 4. lege pro habetur, non habetur.
S. D. G.



AKT 3872

8700153 X

Faint, mostly illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

CONSTITUTION

Main body of faint, illegible text, likely the beginning of a constitutional document.

ART. I


Faint text line following the article header.

§. 1

1078

Handwritten mark or signature.





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

II k
3872

C. D. ~~22. 75~~ 10

DE

ERBIS TANTIBVS

Bon

trau=**Worten** /

RÆSIDIO PARENTIS

MÜLLERI, D.

NS. SAX. ET PROF.

DITORIO FCTOR.

D. AVEVSTI CIO IDC XCI.

disputabit

AVTOR

GERHARD. Müller.

JENÆ,

NNIS BERNHARDI HELLERI,
USA ANNO M DCC XVI.



11.